

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

plissimi muneris & thesauri loco ducam. Bene & feliciter vale & rescribe,  
Rostochii, 28. Augusti Anno 1553.

David Chytræus.

XVI.

Salutem in eo, qui vetera facit transire, & nova cuncta succedere, is & hunc  
Sincantem novum annum tibi & tuis quam felicissimè faciat illucescere, Cla-  
rissime D. Doctor idemque observande in Domino Minor. Neq; enim ut hinc  
præfationem meam ordiar, ita te audeo appellare filium, ut tu me patrem, qui  
tibi sane collatus filius sum & te patrem reverenter agnosco. Accepi equidem  
gratus pias & eruditus tuas 14. scriptas, ipso die Thomæ, quibus si non, ut vo-  
lebam, nunc pro dignitate respondero, dabis veniam mihi à tergo omnia in  
isto veteri anno relinquenti, ad ea verò, quæ à fronte sunt, enitenti. Ob id  
spero facilius mihi condonaturum te, si quid in hoc scribendi officio hætenus  
peccavi & neglexi. Sarcurus, quantum Dominus dederit, illud, quicquid  
sit prætermisum. Ut autem breviter respondeam ad ista, quæ seridò à me postu-  
lare videris. De nobili illo Turbatore Ecclesiarum, qui passim, ut audio,  
me in scriptis suis auctorem facit exortæ Tragædiæ, de humana Christi natu-  
ra, quam primus ego omnium, contra illum ausus fuerim affirmare creaturam  
esse, deinde in conventu Schmalcaldensi, me tantum effecisse, ut non auditus,  
& causa non bene cognita sententiis Theologorum damnaretur. Ea videntur  
capita esse ad quæ responsum qualecunque meum petis. Est quod dicitur lu-  
culentum mendacium non semper opus responso habeat. Tamen quod non  
diu videor fecisse, idem à me postulantibus Augustanis, præstabo & nunc,  
quantum per otium & tabellionis festinantiam licet. Tu pro tua prudentia  
piâ, facile de Schwenckfeldio, optimum & innocentiss. quemcunq; sycophan-  
tiis proscindente, judicabis. Idque ex illo suo volatili & amaro libro, quem  
doctiss. optimoq; nostro D. Philippo olim dedicavit, cui præfixit illud Theo-  
logorum Schmalcaldæ congregatorum decretum, meliore fide, à me nuper  
Augustam missum. In eo etiam meminit, quod ego, ut ipse solet creaturale  
negotium vocare, de ea causa cum eo egerim. Id quod ingenuè fateor, sed  
non antea quam in Silesia, Argentina, Augusta, Memmingæ, aliisque locis  
prior ipse non semina tantum sparset, sed & aliquam se bonam messem fecisse,  
jactavit, priusquam scilicet Ulmam ipse veniret, & me nunquam ei visum  
ad se vocaret, atque, ut solent Christologi, blandissime se insinuaret pollicere-  
turque, se etiam nos ad juturos contra papatum & promoturum Christi regnum.  
Sed ut sit angelo illi in lucem se transformanti, statim Satanicas ungulas osten-  
tavit,

tavit, jactans, tantum Lutheranos adhuc tenere incunabula regni Christi, restare adhuc multa mysteria, relictis cunis amplectenda, & pertractanda. Inter quæ referebat esse hæc, quæ postea evulgavit, de vera cognitione Christi, qui ut homo amplius non esset in gloria, creatura. Ego mox ex tempore respondebam. qui possit fieri, ut in tanta veritatis luce, auderet aliquis aliter de veritate naturæ humanæ in Christo, etiam glorioso sentire & profiteri, quam haberet doctrina Prophetarum, Apostolorum & Apostolicorum virorum, unanimiter statuentium, Christum hominem non reliquisse præsertim substantialia semel assumpta, etiam in gloria, quæ non tollat essentialiter naturæ humanæ conjuncta, sed stabiliat. Verum illa magis Philosophica quam Theologica principia illi videbantur. Præsertim si urgebatur, eo quod contradictionem implicaret, Christum hominem non esse creaturam. Tum enim, ni fallor, numerabatur ab anno natiuitatis Christi 1553. Quia ergo ut homo in tempore cœpisset, necessario consequi, Christum ut hominem creaturam esse. Quia enim humanitas Christi sit ens, igitur vel creaturam vel Creatorem esse eam oporteret. Neque tum mihi lectus erat liber ille Schwenckfeldii, quem in Silesia conceperat, & postea ediderat, in quo disertè ipse fateretur, Christum hominem quidem, cum in hac sua dispensatione, in terris visibiliter ageret, fuisse creaturam, at minimè in statu gloriæ. Sed ut prædixi, hujus Tragediæ hæc fuit prothæsis, quam alio nomine non ornant quam Philosophico, sicut & postea me traduxit. Ubi itaque editis libellis Eutychnianismum suum evomebat, egoq; pro meâ tenuitate pro lectione & concione, antea etiam privatis ultro citroque missis scriptis, resistebam & confutabam, res ad Senatum Ulmensem relata fuit. Uterq; nostrum auditus & decretum, ut ego meum, Schwenckfeldius autem suum Theologis Schmalcaldi tum congregatis judicandum offerret. Id quod factum, & Deo sit perpetua gratiarum actio, propitio Numine ille damnatus, ego vero absolutus. Non quidem ut etiam pars Theologorum consiliis in hac causa interfui, sed tum eram Schmalcaldi, & illorum Ulmam isthuc ad Senatum ferebam decreta & literas. Quarum copia si opus habetis, semel & vobis communicabo, ut & Augustanis fratribus harum copiam feci. Calumnietur itaque quicquid velit, impostor ille, tamen nunquam evincet contrarium. Gloriosus etiam Thrafo tum effutiebatur, hanc condemnationem tantum à Pfaffis, non item à Magistratibus Lutheranis esse factam. Cum tamen Theologi isti antea Magistratibus seu Legatis eo tempore congregatis Schmalcaldæ omnia sua consilia ab eis valde probata, exposuissent. Cur Stenckfeldius tum non aderat etiam, qui adeo spiritualis est, ut facile publicâ fide, illò ei accedere liquisset, sed perpetuo serpens sua habet latibula, serpit & venenum spargit, cum columba per liquidam aëra volitet, & quod de Christo Deo & homine accepit, testificetur. Sed fortasse nunc horum satis, pro tua solertia

reliqua, quæ ad tragicam pertinent Epitafin, & ut spero, felicem catastrophien, quam vos brevi imponetis, probe cognita & perspecta habetis. Cæterum quod memoras, vos nondum vidisse libellum Schwenckfeldii, in quo suam fert sententiam de D. M. Lutheri libris, eoque petere, ut cum ad vos transmittam, certe non recolo, me de certo aliquo hujusmodi libello ad vos scripsisse, quem neque ego adhuc vidi, sed binas literas ad D. D. Jacobum Fabri in Göppingia episcopantem à Schwenckfeldio missas legere licuit, & à quodam haud dubie Stenckfeldiano conscriptam schedulam & Argentinæ circumlatam, mihi que hic à quodam nuntio Memmingensi legendam, exhibitam, accepi, quam nunc libenter misissem, si certo constaret, ea vos carere. Alioqui in scriptis suis, ut de universo Ministerio Ecclesiarum Evangelion habentium sentiat ille Spermologus, notius esse puto, quam ut à me pluribus indicetur. Hæc autem vos latete nolo. Si modo ea non antea comperta habeatis. In paucis elapsis diebus D. Philippum scripsisse Augustam, Edilibus Heintzelino & collegæ, se brevi aliquid contra Schwenckfeldum editurum, hoc ut mature faciat, Dominum rogamus. Etiam ad quendam Philippus fertur scripsisse ad hunc modum: Optarim te cum Brentio, amico nostro, collocutum esse, non solum *ad te rati in regem*, qui procul absunt, sed etiam de Schwenckfeldio, qui ibi vicinas Ecclesias allatrat, & latebras habet apud Suevicos equites, mirantur illos *liberantibus regi dantur in imperium*. Senatus Augustanus misit ad me magnum volumen editum Stenckfeldii titulo, sed adparet, illam pandoram à multis conflatam esse. Credo ducem viciniam posse illa mala tollere, sic crescet in multis locis rabies, ut terra ipsa, sicut de Trojano bello dicitur, tandem petitura sit, ut exoneretur. Oro autem Filium Dei, D. N. J. Christum, ut & Ecclesiam sanet, & servet te & tuam domesticam Ecclesiam, à qua te jam vix posse discedere cogito, propter itinerum pericula. Hæc Philippus ad quendam V. Id. Octobris scripsit. Jam quæ optimo nostro D. Brentio ille graviter intendat, puto vos non ignorare. Sed stultitiam suam indies magis prodit, & spero, brevi se perdet. Quæ olim de verbis coenæ potiss. de *et* Silesii disputarunt, ille refricat, bis coctam sed crambem proponens. Audio autem Schwenckfeldum editurum ea, quæ nuper cum suo patrono, nobili illo à Lautenberg Studgardiam D. Brentio misit, ad quæ, ni fallor, Brentius nihil aut parum scribere voluit. Ita non vobis & Augustanis solis ac nobis, sed omnibus satagit negotia faceffere. Dominus tandem eum, qui vos turbat, judicet, fiat! fiat! Libenter nostro Negelino ad suas perquam gratas literas rescripsissem, si vacasset, oro me illi excuses, quem & commendatum habe, ut soles, & mone, ad eas mihi rescribat literas, quas superioribus diebus ei misi, cum filia cujusdam Aulici Ecclesiastæ Schradini, apud Illustriss. comitem Georgium à Wittenberg agentis. Scribit & D. D. Petrus Paulus Vergerius, nunc ultra mensam in mea angusta

angusta casa hospitans, & contra Papam scribens, D. Petro Martyri: velle ego, quod in tuum sinum effundo, ultra illam consensionem in causa sacramentaria inter Calvinum & Bullingerum edita, extare eam verè catholicam, olim 1536. Wittenbergæ communibus votis sancitam & hactenus religiose servatam, perpetuoque servandam. Valde mihi dolet, paulatim magni nominis viros quosdam magis in Cinglianismum quàm Lutheranismum propendere, quasi vero non plus satis sit alioqui certaminum, agonum & turbarum, Cur non sincero syncretismo inter tot scandala utimur? Libenter D. Sultzero de iis & aliis scriberem Basileam, quem pro bono Nathanaele habeo. Sed forte hisce diebus ad D. Langerum nuntium habeo, quem aliqui etiam suspectum habent de Cinglianismo. O si noster Bucerus superesset? Sed ita iusti colliguntur ad suos. Nunc adeo certi nihil novi, quàm quod mussitatur, ad Trium Regum comitia Augustæ processura, etsi non ipse Cæsar intererit, sed ejus Pro-Cæsar & Rex Ferdinandus. Sperant quidam inter Albertum Marchionem & suos adversarios transactionem instituendam, post tot urring; acceptas clades & calamitates. Cæsar Mezentium iussit arma deponere. Itidem facient præfidia in Schweinfurdo. Caleti congregientur Maria Cæsaris soror, & Angliæ Regina, pro qua Helena tot proci &c. vide ut *αὐτοῦ δ' ἴσως* omnia. Tu condona & recognosce, atq; si per otium licet, rescribe. Judicium curavi hoc describi à meo ad hni Aarone Mango, nostro Negelino bene noto, qui & ipsum salutat. Bene vale cum privata tua & publica Ecclesia & schola, hujusq; proceribus. Reverenter autem te resalutant, quos tu officiose salutasti. Raptim Tubingæ ipso Johannis Evangelistæ 1553.

T. Cl. Obsequentiss.

M. Frechtus.

XVII.

S. D. Reverende Vir & cariss. frater:

Fatum hoc est extremæ senectæ mundi, quo propter vetera & recentia magna scelera duriter quassantur & imperia & Ecclesiæ. Nec tantum rabies adversariorum nostrorum, & petulantia ingeniorum, sed etiam *αἱ ἀνδροῦναι πολυπραγμοσύνη* turbant Ecclesias. Indicuntur Synodi, sine gubernatore, Hessiaci huc venerunt & isthuc Sledanus, præter hos & me & meos collegas nemo adfuit. Nunc audio moliri quosdam, ut alia Synodus indicatur. Utinam Principes audirent meliora consilia. Te rogo, ut mihi quamprimum scribas tuum judicium de hoc nostro brevi colloquio. Scripsi enim  
narratio-